



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Corollarium II. De Natali solo Constantini Magni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

COROLLARIUM II.

DE

Natali solo Constantini Magni.

Is quæ de natalibus Constantini Magni referuntur, ultro citroque discussis, restat aliud, non minus ambiguum, de ejusdem Imperatoris natali solo inquisitione dignum. In quo mirum quàm diversa diversorum hodiernorum sit opinio scriptorum: & quàm strenuè pro sua quisvis stet sententia. Nec immeritò tanti Imperatoris natalitia variarum nationum populi suæ vendicant Provinciæ, unde insignè Profectò decus sibi credunt obvenire. Græci, ut olim pro Melesigenes, à Melete, fluvio Smyrnam alluente sic dicti (si Herodoto *in vit.* credimus) postea ob cæcitatem Homeri nuncupati patria invicem acerrimè dimicabant, & prælio potentes pro Menelai Helena armis invicem decertabant: sic arte, ingenio & industria valentes Constantinum in Oriente natum totis viribus contendunt. Horum opinionem litteraræ antiquitatis ac polioris latinæ cultor insignis Justus Lipsius operosè tuendam assumpsit, quem sequitur Joannes Livineus, Belga; & ex Recentioribus P. Morinus Orat. presbiter *Hist. Constantin.*

Alii Constantinum Magnum in Occidente vitale lumen primum aspexisse validis nituntur evincere probationibus, inter quos dignitate ac gravitate præcellit Eminentissimus Baronius.

Orientalis, hisque adherentes suam in eo fundant opinionem; quod acta Sylvestri signanter referant Helenam matrem Constantini fuisse in Bythiopia, quando Constantius Chlorus eam assumpsit. Quibus confirmiter narrat Nicephorus Galixrus *L. 7. cap. 17.* quod cum Persæ Parthi & Sarmatæ, finitimi que populi Romanam ditiorum plurimum vexarent, Dioclerianus & Maximianus Imp. Constantinum miserint in Orientem, ut pacem componeret. Hic perveniens Drepanum ad Nicomediam suam, ibidem aliquamdiu moratus est: cui scortum affectanti hospes obtulisset filiam suam Helenam, quam cognovisset, ex qua Constantinus natus sit. Deinceps Romam reversus cum Galerio Cæsar creatus fuerit. Cùm verò postmodum alii legati Drepanum venissent, infantemque vidissent, eum cum matre Romam adduci curaverint. Mox Imperator

Helena, inquit Petrus Bessius apud Baronium, insignis pietatis femina, que accedebat Constantio suo viro adiutorium simile ipsi, eadem fuit omnium bonorum sua pietate conciliatrix. Filio quoque in vera fide capef-cenda adjuvamento fuisse prodit Sanctus Paulinus, supparis ævi gravis scriptor Epist. 11. ad Sever. scribens. Mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora, nostris proxima, Constantini, qui Princeps esse Principibus Christianis, non magis sua, quam matris Helena fide meruit. Suffragatur Synchronus Divus Ambrosius cit. oras. in obitu Theod. Helena multo amplius invenit, quod Imperatori conferret, quam, quod ab Imperatore acciperet. Quod, sive de Cruce Salvatoris, sive de re alia quavis falsum foret, si à filio converfo, rerum sperandarum substantiam, uti Paulus diffinit fidem, recepisset. Jam diu ante Tertullianus adv. Jud. cap. 7. testatum reliquerat, quod Britannorum inaccessa loca Romanis Christo sint subdita. Hanc subjectionem & susceptam fidem, ut Beda scribit Lib. 1. histor. usque ad tempora Diocletiani Imp. inviolatam integramque, quæta in Pace, Britanni servarant. Dubium ergo nullum esse poterit de eo quod Sozamenus Lib. 1. cap. 5. affirmat. Apud omnes constat orbis incolæ Constantinum à Britannis Christianam fidem edoctum, & præmium Christiana fide imbutum. Et quia nullus alius è Britannis produci poterit, qui hunc Imperatorem ad orthodoxam stimularerit religionem; non vana est conjectura, quod piissima illius genitrix hoc fererit: præsertim cum Theodoretus Lib. 1. cap. 18. ingenuè fateatur, quod Helena, cujus laus omnium ore ac sermone prædicata est, & hoc eximium mundi luminare pepererit, ac pietatis alimenta ei subministraverit.

Contraria quidem possent videri ea, quæ Eusebius. Lib. 3. vit. Const. cap. 46. scribit. Qui illam (Helenam matrem) cum jam an-

reddidit, ut à primo tempore ætatis ab ipso communis omnium Servatoris ore instituta fuisse videretur. Verùm ad hoc quidam respondent, quod Eusebius Constantini magis, quam matris ejus Helena notitiam plenam assecutus, dum potius illius panegyrim, quam vitam composuit, ut sublimius illum efferret, hanc quandoque suppresserit. Quæ responsio utique non omnibus ardebit. Interim qui aliã opinionem fovent, non poterunt tamen ex iis Eusebii verbis certò deducere Helenam fuisse gentilem aut ludæam, quod apertius in Chronico Mariani Scoti, ubi ad annum 321. legitur. Constantino autem à Papa Sylvestro Baptizato scripsit de Britannia sua mater Helena, ut negando Christum Judæos sequeretur. Quod tamen falsum esse ex ipso eodem Chronico, rerumque gestarum serie satis liquet. Etenim si fuerit crux Christi inventa sub Eusebii Pontificatu; cui successit Milthiades, sicut Chronicon tradit; quomodo fieri potuit, ut Helena, quæ post sedulam inquisitionem crucem invenit, post multos annos sub horum Pontificum successore Sylvestro, scripserit filio, ut negando Christum Judæos sequeretur? Nunquam fieri potest, ut circa unam eandemque rem, uno eodemque tempore contrarietates, ad unum idemque pertinentes eveniant. Rectè sensit Mactobius Lib. 2. comment. cap. 14. Profectò ad Helena matris instantiam, cujus summa, teste eodem Eusebio, apud constantinum filium reverentia, factum est; ut Imperator publico decreto Judæorum coereret insolentiam. Dato XV. Kal. Novemb. Murgillo, constantino quartum Coss. & Licino quartum Conf. id est decimo Constantini Imp. anno: quo eodem anno mater filio, de negando Christum & Judæis adhærendo litteras scripsisse perhibetur. Quod si circa annum sextum Imperii sui labarum S. Crucis in aère est ostensum, ipseque visu in somno admonitus, ut hoc signo ad victoriam uteretur,

quemadmodum irrefragabili gravissimorum scriptorum Synchronorum testimonio, obtinentibus licet Centuriatoribus, probatur; quam veri speciem obtinebit, quod Helena mater huic cœlesti monito, post evolutos aliquot annos; post, virtute hujus signi, debellatos hostes, malitiosè abjuracionem Crucifixi persuadere voluerit? Dicendum itaque, quod sagaciter observat Alfordus *loc. cit. cap. 1. sect. 2. §. 12. num. 13.* viriatum Mariani Chronicon. Nam Florentius Wigornientis, ejusdem Ordinis ac ætatis Chronologus, qui Marianum Scorum religiosè assecutus, censore irreligioso Balæo, cuique ejusdem, ut Pittæus advertit, fuit Abbreviator, multò rectius reddidit periodum illam, exigua tamen paucarum litterarum multatione hoc modo. *Constantino, à Papa Sylvestro Bapuzato, scripsit ei mater sua de Britannia ut negantes Christum Judæos persequeretur.* Atque sic corrigendo mendosa, à Mariano minimè scripta fuisse persuasum habetur.

Neque multùm premit autoritas Vincentii Belluacensis S. Antonini & quorundam aliorum Legendariorum, quorum in historicis non est satis tuta fides; utpote qui apocrypha ab authographis non discernentes; non inspectis, aut perperam intellectis authoribus, ex mendosis codicibus, exiguo rerum delectu, paginas implendo, suos libros condensârunt: indeque posteri, minus circumspècti, in errores inducti sunt. Nec illi, nec alii quicunque Recentiores in hac aut simili materia audiendi; nisi testimonio antiquorum probent, quod asserunt. Quod in horum partes Eminentissimus Annalium patens à Gresero trahatur, mirum videtur. Henricus Russelius Prior Succiacensis, Ordinis S. Crucis Chronologus in *præf. vii. S. Helen.* ipsum aliter sensisse ostendit; eo quod *rom. 3. Annal.* scribat Helenam jam olim Christianam fuisse; quia filia ejus Licinio nupta, nomine Constancia, Christia-

na fuit. *Ut appareat, inquit, cenellam virginem ex secretis paterna domus penetratibet progredientem Christianam, non nisi ex materna institutione id consequi potuisse.* Hæc quidem Baronius. Ast Russelii crisin subterfugit, hallucinatam hîc virum perspicuissimum in eo, quod Constantiam dicit Helenæ filiam, quæ præter Constantium aliam prolem peperisse non legitur, eodem Baronio teste *loc. cit. ad Annum Chr. 306.* ubi Constantiam dicit filiam Theodoræ et Constantio genitam, Præmiserat quidem de Helena, quod ipsa extiterit, quæ filium Constantinum ad pietatem à puero instruxerit: sed hoc est, quod hîc quaeritur, *Nam, ex qua solvantur quaestiones, alia debet esse via, ex qua accidunt quaestiones* docet Alexand. Aphiod. in *1. prior. cap. 31.* Neque apparet, quomodo cum eo, quod Cardinalis observat, conciliari possit, Constantiam, ante Constantini conversionem fidei nostræ mysteriis initiatam Licinio nupsisse: nisi dicamus, Constantinum quidem vera fide ex matris Helenæ institutione imbutum, à Catholica tamen religione effectum alienum, quando à Constantio Patre ex novereæ Theodoræ oculis ad Diocletianum, ac subinde etiam Galerium Impp., infensissimos Christiani nominis hostes amandatus, aut fidem dissimulando, aut inter anxia religionis consilia fluctuando, ejusdem publicam professionem, usque in tempus magis commodum distulerit. De actis Sylvestri jam supra satis dictum, quod cunctorum ferme eruditiorum judicio, fabulamentis scateant & vel universim, vel majori ex parte sint commentitia, quæ in narratione hujus rei aperitissimas falsitates continent. Referunt enim, quod ad disputationem Romæ 75. Episcopi sint adsciti; Judæorum verò sacerdotum 109. (horum nomina, sicut Plautus in *Persa*, contortuplicata, dura & quasi confragosa, ut fix efferrî possint, etiam stoicorum cicerent (exceptis duodecim ab Isachar

rator veritus, ne quidpiam proli à Theodoro, superinducta conjuge sua, obveniret mali, cum Nicomediam ad Diocletianum, filie cum Galeio morantem, miserit; ubi in palatio educatus Christianissimum sit amplexus. Ita Necephorus, quem Lipsius *Lib. 4. de magnis. Rom. cap. 5.* arbitratur verissimè tradidisse, eo quod tam constanter, tam nihil ambigens, aut varietate inserens scribat. Confirmat hæc Lipsius ipsemet auctoritate Julii Firmici qui *Mathes. Lib. 1. cap. 4.* hujusmodi narrat. *Dominus & Augustus noster, ac totius Orbis Imperator pius, salix, ac providus Princeps, Constantinus scilicet Maximus, Domini Constantini filius, Augusta ac veneranda memoria Principis, qui ad liberandum orbem à tyrannicis immolationibus, & ad comprimensa domestica mala favore propitia Majestatis electus est, apud Tharsum genitus, à primo ætatis gradu Imperii gubernacula retinens, quæ prosperis nactus fuerat auspiciis Romanum orbem salubri gubernationis moderamine sustentat.* Hæc Firmicus vitiatam tamen non uno loco periodum fatetur Lipsius. Nam pro Domini Constantini filius, putat legendum Constantii filius, & pro Tharsum restituit Tarsum.

Sunt alii, qui quæstionem hanc de Constantini patria decisam velint ab ipso hoc Imperatore, in ea Epistola, quam scripsit ad Episcopos, Tyri congregatos; eamque refert S. Athanasius *Apol. 2.* ubi sic Constantinus discunt. *Ingressenti mihi cognominem ac fulicem patriam meam Constantinopolim, subito Anastasius Episcopus Et pauld post ipse Anastasius de Eusebianis sic ait. Aliud crimen commentitium detulerunt; Anastasium scilicet minatum esse, se impeditarum, quominus frumentum in Alexandriam, in patriam Cesaris devehetur.* Confirmat illud ipsum etiam Julianus. *Orat. 1. in laud. Constantii* dum dicit. Magni Constantini filium hunc paterno genere Constantinopolitanum esse.

Constantini exordia plurimi quidem in Occidente statuunt: sed in designando locum nativitatis mirè discrepant. Pomponius Letus, Baronius &c. &c. Britannum esse dicunt. Et Michaël Alfordus Soc. JESU presbyter Britannus in *Dissertatione de nat. &c.* circa medium sæculi 17. edita, pluribus contendit Imperatorem hunc suum contraneum reddere. Cæterum eundem in Occidente lucis usuram primò obtinuisse facit.

I. Antiquissimi Græcorum historiographi & Chronologi de eo omnino silent: ubi Constantinus natus sit: qui, sicut in ipsius laudes ubique effusi sunt, ac præcipuè Eusebius, Græcarum rerum amplificator egregius, ut apud Baronium audit, qui Imperatori fuit admodum familiaris, ejusque vitam scripsit: ita minimè intermisissent, tantum Monarcham sibi adserbere; si natale solum Græciam habuisset. Quare posteriores Græci perperam ex hoc silentio inferunt Constantinum in sua patria vitæ exordia accepisse; cum hoc ipsum silentium, ex ratione allata, magis argumenti loco latini pro se efferant.

II. Eusebius *Orat. de laud. Const.* post plurima encomia, sic profertur. *Itaque & nobis, qui orientem accolimus, suam ipsius præsentiam non sine maximo omnium commendo largitus est.* Quod incongruè dictum putatur, si in Oriente natus fuisset: quin potius Eusebius gratias agendo, quod in sua gentis commodum suâ præsentia Græciam condecoraverit; innuit quod ibidem natus non sit.

Verùm sicut argumentum hoc, æque ac præcedens Græcis, Græcorumque alleclis sublicium videtur infirmum, ut ei conclusio certa nitatur, quod in Occidente Constantinus è matris utero prodierit; qui neutri parti student, ægrè Occidentalibus ob hæc allegata fidem accommodabunt. Adducendum proinde palmare illud quo non tantum-

Sf

evincitur,

evincitur, in qua Orbis plaga; sed insuper, in qua provincia Constantinus in lucem editus fuerit. Est autem illud. Insignis quidam scriptor panegyricus, anonymus quidem: sed sine contradictione ejus scripta genuina recensentur, in Oratione Constantinum laudat à fortitudine bellica cæterisque virtutibus, eum etiam Constantio patri conatur præferre, ac demum patriam illius manifestè indicat: dicendo, *Liberavit ille Britannias servitute, Tu etiam nobiles, illic oriundo fecisti*, ubi insigni doctæque antithesi patri præfert filium, quod liberatam Britanniam ortu suo nobilitaverit.

Respondent Hubertus Giphanius Jurisconsultus Clarissimus in *Imp. Flav. Justinian.* Marinus ubi supra Broverus, Masenius addit. *Et not. ad Annual. Sc. Sc.* Ortum & natalem Cæsarum esse duplicem. Unum hujus lucis & vitæ, alterum Imperii & regiminis. Et quia existenti in Britannia Constantino obrigerunt fauces Imperii, ibidem hoc sensu ortus dici poterit. Atque sic interpretatur eandem periodum Lipsius; ubi Broverus advertit, quod ab eodem Imperator Oriens dicatur oratore.

Sed, pace horum eruditorum scriptorum, hoc interpretamentum sensum genuinum minimè videtur adæquare. Præterquam enim quod exile encomium, atque beneficium exiguum Constantino, uti tenuis Insulæ nobilitas obvenire putatur exinde, quod in eadem denuntiatus fuisset Imperator, in qua jam ante, severo, Eboraci defuncto, Bassianus & Geta Imperatores dicti fuerant; negat Alfordus quod Constantinus in Britannia ortus factusvè sit Imperator. Siquidem patre illius Eboraci pariter mortuo, fuit quidem Rex & Cæsar Constantinus designatus, ut passim autores perhibent. Ipse tamen Cæsaris appellatione contentus, Imperatoris titulum modestissimè declinavit; eo consilio, ut Maximiniani filiâ, in matrimonium acceptâ, unâ purpuram acciperet ab

eo, à quo olim acceperat Constantius pater; ac sequenti anno è Britannia in Gallias profectus, Maximinianum, qui dudum Imperium deposuerat, superstitem convenit, Faustamque filiam, & cum illa Imperii purpuram ibidem accepit, atque ita in Gallia ortus factusque Imperator fuit. Ergo cum de Constantino diceretur; quod ortu suo Britannias nobiles effecerit, non potest intelligi, quod ibidem Imperator sit creatus; id, quod extra Britannias contigisse idem Orator anonymus expressè asserit: quia in Gallias, dum nuptias cum Fausta celebraret, additum nomen Imperii: & cum panegyrista huic nuptiarum solemnitati interfuisset, subjungit. *Ibi Oriens Imperator, ibi ortus factusque Imperator: illic & illinc Imperii lux fulsit.*

Itaque concedendum videtur Joanni Livineo, qui panegyricos notis illustravit, quod locus citatus sit lubricus: sed in quo ipse potius cum Lipsio lapsus, quam cum Pomponio Leto Baronius, qui in Ecclesiastica historia lassus miles fumum figit pedem. Livineus quidem, in confirmationem suæ interpretationis adducit aliura panegyristam, Eumenium scilicet, qui Trevira Constantinum laudavit, ejusque ortum, educationem, ac principales virtutes, doctæque naturæ percurrit, qui paneg. 9. sic exclamant. *ô fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, qua Constantinum Cæsarem prima vidisti* utique acclamabunt alli. Beata ac fortunata Britannia, quæ primò natam prolem vidit, cujus genitor, Imperatoriæ dignitati jam proximus, in spem venerat, ut hujus aliquando successor Orbem moderaretur. Quemadmodum Vienna Austriae nunc verè beata dici poterit, quæ & Imperatores prima vidit; licet horum nullus aut ibidem electus, aut coronatus fuerit. Juvabit pro Britannia ipsum Eumenium citatum audire; qui illius Insulæ laudes finit hoc epiphonemate. *Du boni! quid est hoc, quod*

quod semper ex aliquo supremo sine mundi no-
 via deum numina uniuerso Orbi colenda des-
 cendunt? Sic Mercurio à Nilo, cuius summi-
 nis origo nascitur. Sic Liber ab indis, prope
 confinis solis Orientis, deos se gontibus osten-
 dere presentes. Sacratiora sunt profectò medi-
 terraneis loca vicina caelo, & inde propius à
 diis mittitur Imperator, ubi terra finitur.
 Itaque cum deos, qui crediti sunt nasci ut
 homines, ad totius orbis gubernacula è fini-
 timis terræ plagis ortos dicat Eumenius; ut
 ipsum Cicero quoque *Lib. 3. de nat. deor.*
 scriptum reliquerat: locus sacratior erit quo-
 que mediterraneis natale Constantini solum
 finibus terræ contiguum. Quoniam verò
 constat Græciam esse mediterraneam, &

Penitus toto diuisos orbe Britannos

quemadmodum Virgilius cecinit *Ecclog. 1.*
 ibi terra finitur, ubi supremus mundi finis
 terre Horatio *Lib. 1. carm. ode. 36.*

*Serues iterum Casarem, in ultimos
 Orbis Britannos.*

Inde propius à diis mittitur Imperator:
 sicque citatus Eumenius, qui de ortu, natali-
 bus, incunabulis, majoribus Constantini
 Magni tractare instituerat, genuinè, rectè
 & ad litteram intelligendus.

III. Constantini lingua vernacula fuit la-
 tina, qui Concilium Nicænum ingressus ad
 Patres latinam Orationem dixit apud Sozo-
 menum *Lib. 1. hist. Eccl. cap. 18.* Non
 ideo, quidem, quia lege lata iudices jube-
 bantur Romano uti idiomate, quâ Con-
 stantinus, qui novam Romam in Græcia
 condidit, obligari noluit: sed quia Græcè
 in doctissimorum virorum congressu vix lo-
 qui poterat, sicut Eusebius, Sozominus &
 Sacrates narrat. Solebat Constantinus, testi-
 bus iisdem, dicere, orare, scribere, docere
 latinè, non igitur Græcus fuit; licet in

Græciam Imperii maiestatem transtulerit,
 sed Latinus habendus erit. Jam verò Britan-
 nis linguam latinam fuisse perquam familia-
 rem Tacitus est Author, qui in *vit. Agris.*
 hæc perhibet. *Jam principum filios liberali-
 bus artibus erudire, & ingenia Britannorum
 studiis Gallorum anteferre: ut qui modo lingu-
 am Ramanam abnucebant, eloquentiam con-
 cupiscerent. Inde etiam habitus nostris honor
 & frequens toga &c. &c.* Unde post unum
 alterumvè sæculum Britanni passim latinè
 loquebantur; adeo, si Cambræno credi-
 mus, ut temporibus Diocletiani & Maxi-
 miniani incolæ illius Insulæ promiscuè lin-
 guam latinam velut vernaculam loqueren-
 tur. Non mirum ergo, quod Constantinus
 Britannia oriundus, Latinè eleganter, Græ-
 cè loqueretur minus expedire.

Hoc argumentum quanti sit ponderis,
 cognoscetur ex iis, quæ alii pro alio nata-
 li Constantini solo in occidente hinc infe-
 runt.

IV. Pro natalibus Constantini in Britan-
 nia adferri possent totius Europæ scriptorum
 suffragia. Velut ex Italia sentiunt Perius de
 Natalibus, Onuphrius Paninius, Thomas
 Bozius, Flavius Blondus. Ex Germania
 Nauclerus, Cuspinianus, Eysengrenius.
 Ex Gallia Bodinus, Genebrardus. Ex Hi-
 spania Flav. Luc. Dexter, Bivarius, Mariana.
 Ex Polonia Martinus Polonus, Abraham
 Bzovius. Ex Anglia Henricus Huntidoni-
 ensis, Guilielmus Malmesburiensis, Jo-
 annes Sarisburiensis, & qui ante annos mille
 scripsit, Adelmus Schirneburnensis Episco-
 pus librum, iudice Beda, eximium. Om-
 nes authores optimæ notæ, & potissimum
 ab eruditis cum honore suscepti. Hos autem
 universim falsi arguere utique temerarium
 videri debet.

Nihilominus horum scriptorum autori-
 tate, vel quia posteri omnes, & absque ma-
 jorum autoritate id tradunt; vel quia Bri-
 tanni domestici testes, & in patriam promio-

res; Lipsius nequaquam movetur, ut Constantinum Britannum credat. Cum verò acta Sylvestri, omnium eruditorum sententia, corrupta & mendosa nullam mereantur fidem ut aliàs ostensum, mirum prorsus est, quomodo virum hunc sagacem ac circumspectum in contrariam opinionem potuerit trahere solius, his actis innixi, Nicephori auctoritas; & quomodo eandem adducat, ut cæteris quoque persuadeat: quandoquidem Author ille post tot sæculorum decursus scripserit, Græcus, & admodum in patriam propensus. Et qua ratione præsumitur verissima tradidisse, quem minimè rigidus censor Baronius mendacii peregregii arguit & commentitiæ historiæ, seu fabulæ huius authorem dicit? qui subjungit. *Mendacissima historia confutatur & planè convincitur curiosi hominis esse figmentum, si cum recta ratione temporis conferatur.* Quod autem hæc Niephori historia cum recta ratione temporis subsistere nequeat, nihilque ex vero habeat, deducitur ex sequentibus.

I. Nullius idonei veteris scriptoris fide perhibetur, quod Constantius Chlorus unquam fuerit in Orientalibus plagis, multò minus, quod, pacem muneribus ambiendo, ad Persas & Parthos missus fuerit à Diocleriano & Maximiniano Impp. qui è contrario Persas Parthosque, uti & Sarmatas supplicantes prece, muneribusque pacem exorantes habuerunt, ut ex Mamertino Synchrono compertum habetur in *paneg.* Quin ante horum Impp. tempora, Alexandro regnante, Persæ primum servi apud Romanos extitère, cujus meminit Lampridius; & post septennium rebellantes Gordianus Imperator compescuit, sicut Julius Capitolinus testatum reliquit. Ipse Maximinianus, cum cladem à Persis tulisset, eos debellavit, Regemque eorum fugavit, ac, teste Sexro Ruffo viro Consulari in *Breviar.* pax subsequuta est. Quomodo ergo credi poterit assertum de missione Constantii ad pla-

candos Persas? Eidem ab Impp. memoratis adscita cuncta, quæ trans Alpes Gallias erant, commissa fuisse, prodit Aurelius Victor, corruiit proinde narratio, in qua non subsistit temporum ratio.

II. Quando Constantinus cæli sub aras prodit; Dioclerianus & Maximinianus ad Imperii gubernacula necdum pervenerant; frustra itaque dicitur, quod post levissimam in Christianos persecutionem pater ab his missus sit in Orientem, ubi filium genuisset. Siquidem Dioclerianus Anno *Æræ* Christianæ 284. regnare cœpit, & biennio post Maximinianum in Imperii regimine Collegam assumpsit. Levissima persecutio fuit Anno 302. Imperii Diocleriani 19. Eusebio testante H. E. *Lib. 8. cap. 3.* Consipirans autem est historicorum omnium consensus quod Constantinus natus fuerit Anno Christi 273.; cœperitque imperare Anno 306. eodem quo pater ejus in Britannia obiit. Fuisset ergo dumtaxat trimulus, si post severissimam prosecutionem à missio in Orientem Patre genitus inibi fuisset. Sed et hoc missio hæc facta diceretur primis illorum Imperatorum annis; non potuit tamen decimum quartum ætatis attingisse Constantinus, quando Imperium inchoavit post mortem patris: & tamen indubitatum est ex eodem Eusebio *Lib. 4. vit. cap. 33.* Epiphano, Hieronymo, Victore &c. Annum 32. egisse cum regnare cœpisset. Quod si Constantinus, ex recepta opinione, vitâ excellens Anno *Æræ* Christianæ 337 non potuit in mundum prodire sub finem sæculi præcedentis, qui anno vitæ 65. diem clausit extremum, ut eum eodem Eusebio, Nicephoro Constantinopolitano, communis fert Chronologorum sententia. Hoc igitur unico patefacto; illius historiæ excogitatum commentum exploditur: præsertim cum ex scriptoribus æquæ vis, quo in loco natus sit, possit apertissimè demonstrari, nempe in Britannia. Ita Baronius &c. Porro Con-

stantius

stantius illic primò appulit quando Aurelianus Imperator, sub Annum Christi 273. ipsum tunc Senatorem miserat, ut passim observant accuratiores historiographi, quam provinciam ipse Romanæ ditioni subjecerat, rexit; & pacem cum Romanis composuit; eoque tempore ex Helena genuit Constantinum. Quo pariter infirmatur, quod Brovverius *Annal. Trevir. Lib. 4. num. 26.* objicit, Constantium sibi videri socialisse Helenam, antequam in Britannia Ducem exercitus ageret; eo quod natus Constantinus filius sit sub Aureliano, antequam à Diocletiano & Maximiano ablegaretur ad recuperandam terram Insulæ Britannicæ à tyrannis occupatam. Hoc enim simpliciter negatur, quod disertissimus hic Annalista ex falsa narratione Nicephori, cujus Chronotaxis rejicitur, supponit admissum iri de missionis tempore. Præterea ex aliis quam plurimis circumstantiis à Nicephoro narratis, totum, quod refertur, fabulam redolet. Quod verò spectat ad circumstantiam loci, Oppidum, urbem, municipium aut emporium, ad Nicomediæ sinum in altum mare longius prominens Drepanum, cujus meminit idem Nicephorus; minimè subsistere posse patebit ex responsis ad Julii Firmici auctoritatem. Et quidem opportunè correxit Lipsius locum Firmici, pro eo quod Constantini filius habetur in editione Hervagiana Basileæ Anno 1533. legendum. *Constantini filius.* rectè censuit. Quod verò apud Tharum, correxit, quæ est in Cilicia, vultque Bithiniæ esse urbem, alii autem antponendum Naïsum: & sic hebetur in antiquissimis MSs. Julii Firmici. Verùm quia nemo hucusque Lipsii Tharum Bithiniæ, & Nicephori Drepanum, postea Helenopolis à Constantino Magno dicta, ac Firmici Naïsum, quæ est urbs Thraciæ, juxta Stephanum Bzant., Daciæ, juxta Valesii correctionem, ex Cedreno confirmatum, esse unam eandemque urbem aut oppidum,

verisimiliter saltem, probare potuit: restat ut dicatur ex Nicephori & Firmici ll. cc. nif firmiter concludi posse. Id quod doctissimus Lipsius satis advertit, quando desuper amice monitus respondit, se ambigere, non asserere aliquid. Equidem bene. *Nam ambigunt inter se amici, contendunt inimici* dixit Protagoras.

Maneat interim salva Julii Firmici auctoritas, qui intelligendus de Imperatore sui temporis, dum ait. *Dominus & Augustus noster..... Romanum orbem salubri gubernationis moderamine sustentat.* Illumque significat, qui rerum tunc potiebatur, is autem fuit Constantius, Magni Constantini filius secundò genitus. Ergo non Constantinus, sed Constantius Naïsi (quæ à Patre aucta, ornataque fuit, ac propterea ab hoc condita dicitur) nascitur; cui secundò genito avi nomen inditum, licet quandoque Constantinus ab aliquibus auctoribus vocetur sive ex errore, sive, quia fuit binominis. Fuit autem is natale solum nactus in Illyrio, quando parens, anno sui Imperii duodecimo, ibidem morabatur, quod Julianus *Orat. 1. in Const.* apertè dicit, & indicat Sigonius. Reliqua omnia, quæ à Firmico dicuntur; multò convenientius Constantio huic applicantur, quàm Constantino patri; ut quod Sit (qualis esse voluit) totius Orbis Imperator, quod tyrannos submoveat, bella civilia confecerit, à primo ætatis gradu (Ostennis) Imperii falces obtinerit &c. &c.

Duo adhuc supersunt, quæ Lipsium movent, ut sustineat Firmici asserta de Constantino Magno intelligenda esse. Primum. Quod Firmicus ille floruerit eo tempore, quo Constantinus Magnus Imperialem dignitatem adeptus est. Huic autem occurritur observando, quod Firmicus, qui Astronomicæ scripsit, ubique appelletur Julius Firmicus Maternus Junior Siculus; ad differentiam alterius Julii Firmici Materni, Siculi; qui

qui in magna Bibliotheca Patrum dicitur Senior, scripsitque librum de errore profanarum religionum, quem dedicavit Constantini Magni filii Augustis & jam Imperatoribus; ut patet ex *cap. 21*. Firmicus Junior ergo non potuit scribere Constantini Magni tempore, licet alteri ætate superfuert, quem admodum notat ille, qui senioris opera recenset, atque eruditè evincit Baronius *Annal. ad. a. c. 355*. ex ipso Firmico scribente *Lib. 8. astronom.* ad Lollianum Coss. sub Constantio Imp. ubi ultimo libro *cap. 15*. fatetur Lollianum suo tempore Consulatum iniisse quidquid Lipsius, suis hypothesebus litans, contra alios ex sola conjectura opinetur fuisse alium Lollianum seniore, designatum duntaxat Consulem, qui in Fastis non nominetur; aut librum hunc Lolliano inscriptum Constantini Magni tempore compositum. Sufficiat hinc simplex inficiatio, ubi nulla est Probatio.

Secundum, quod in Firmico superest pro Lipsio, videturque palmare, est; quod non solum nominet Constantium: sed etiam liberis suis voveat perenne Imperium: cum tamen Constantius secundò genitus nusquam legatur genuisse filios, saltem *Dominos ac Cæsares*: sed tales habuit Constantinus Magnus. Ast sibi responsum habeat polyhistor æstimatissimus primò. Nusquam quidem legi Constantio fuisse filios naturales; habuisse tamen adoptivos, legitur; siquidem patruales suos Gallum & Julianum adoptavit, ut habetur in histor: tripart. *Lib. 5. cap. 5*. ac primo, Consule Lolliano, suum nomen indidisse, atque in Imperium adscivisse ibidem agitur. De sui adoptione satis innuit Julianus Apostata. *loc. cit.* Dum igitur hi filiorum nomine jure veniunt, Firmicus fausta precari poterat Gallo & Juliano Constantii liberis, eosque *Dominos ac Cæsares* appellare; quales esto non eodem tempore fuerint; sed Gallo jam adscito, Julianus jure proximo, spe & expectatione om-

nium Imperio destinabatur. 2^{do}. Dum Firmicus orat Constantio æternum Imperium, deosque precatur, ut filii ipsius Cæsares ac Domini Romanam Rempublicam continua successione administrarent; non est, quod necessariò supponat, jam esse, qui id præstare possint: sed in votis habet æternam liberorum seriem, qui posteris & posterorum posteris, infinitis sæculorum continuationibus imperare possint. Ergo non est votum de præsentibus; sed neque soli præsentibus intelligi possunt: quomodo Cyrillus Hierosolymitanus Epistolâ ad eundem Imp. Constantium orat, voveretque diuturnum in filii Imperium, ac ut Christi potentia Imperatorem custoditum & lætarentem filiorumque propriorum gemine gloriantem Rex omnium Deus perpetuò servet. Quare tam hic quàm ille fausta apprecando Constantino, orat liberos: non asserit.

Sed quid ad Constantini litteras & verba Athanasii, quibus Constantinopolis asseritur patria Imperatoris hujus?

Respondet Alfordus. Si omnium authorum, qui de Constantini patria scripsere ratio intueatur, & spectetur silentium eorundem Græcorum, maximè, qui nunquam affirmarunt ne per umbram quidem, natum Constantinum Bizantiis, facilis erit solutio. Quis enim nescit patriam pro diuturna habitatione capi interdum posse & verò debere. *Patria est ubicunque vir fortis, habitantem elegit.* Ait Curtius *Lib. 6*. Fides docet Christum Dominum patriâ Bethleemicam esse in Judæa: & tamen ex Evangelio habetur Capharnaum in Galilæa Gentium ac Nazareth in Galilæa inferiori ejusdem quoque patriam dici. Idem ergo de Rege seu Principe congruè dici potest, qui sunt Patres patriam quam incolunt, etiam si in eadem nati non sint, eamque patrio amore fovere.

Magis videtur Juliani locus ungere: sed genuina translatio eruditissimi Patris Petavii è Græco in latinum, totum sensum invertit;

ideo ut in rem Græcorum, aut eorum, qui Constantinopoli Constantinum natum asserunt, prorsus nihil faciat. Sic autem habet. *Jam qua ad Bosphorum sic est civitas, & abs Constantiorum genere nomen obtinuit: non illa se quidem patriam tuam esse dicit: sed à patre tuo ortum accepisse prædicat* &c. ubi satis liquet Juliano in mentem non venisse Constantinum esse ortum Constantinopoli, quæ, ut Trebellius Pollio, historicus fidelis tempore Constantii Chlorig refert in Gallieno, ita devastata fuit, ut prorsus nemo superstes esset, & nulla vetus familia suo tempore superesset, quæ antiquitatem generis, nobilitatemque repræsentet.

Causa sic ventilata, nec dum tamen contestata lis est, Etenim prodit in medium Formeus Matnavitius Bosnensis, qui Constantini patriam solum Illyricum esse contendit in Libro, cui titulum præfixit. *Regia Sanctitatis Illyricana fecunditas*. Ubi affirmat.

*Constantino Illyricum genus fuit, patre Constantio Chlorig Imp. Hinc cum Victor cum Diocletiano Maximiniano & Galerio patria Illyricum scribit dum de iis agens. Et hæc sane omnibus Illyricum, inquit patria fuit. Natus est Nyssa Dardania urbe amplissima, eruditissimi Imperatorum Constantini Porphyrogeniti testimonio, jure optimo omnibus aliis anteponendo. Quod et idem affirmatur ab Hermolao in epitome Stephani de Urbibus longe anteriori Porphyrogenito. Citat deinde leges quasdam. Horum autem testimonia, quia sunt destituta iis, quæ jure requiruntur Illyrico favere nequeunt. Victor quidem nec tenuem Constantini mentionem facit nisi postquam dixisset *His omnibus Illyricum patria fuit*. Ergo Constantinum inter præfatos non posuit. Quandoquidem verò Author neque verba Porphyrogeniti, neque Hermolai, ut fas erat, exprimit; de impositione meritò suspicionem incurrit; præsertim cum Victorem perperam allegaverit, legesque allegatæ nihil de hac re meminerint, quam probare intendebat.*

Cæterum quando magis de Constantini Magni Patria invalescit prælium inter Occidentales & Orientales: tanto validius Trevirensis pro sua parte sumunt præsidium, qui persuasum habent, eum, æque ac matrem illic esse oriundum. Sic enim discurret, meritò à Georgio Gobat nuncupatus latinæ Magister, Jacobus Masenius in suis eruditissimis notis ac additamentis ad Annales Brovveri tom. 2. Annot. 2. num. 2. *Ipsa pugnantium inter se adversariorum dissensio, cum nihil apud illos firmum relinquat, atque in ipsis etiam hallucinentur, tam loci quam personarum nominibus; dum alii Brepanum, alii Tharsum, alii Naisum, alii Bithiniam, alii Dactam, alii Thraciam assignent; & pro Constantino, Nicephorus Constantem, Firmicus Constantinum producant, non nisi conjecturis rem agi manifestum est. Ne verò & ipsi Trevirenses hujusmodi conjecturis duntaxat Constantinum Magnum sibi vindicare videantur; ut cæteræ quoque nationes persuasæ sint; conatur cit. Author ex ipsiusmet Constantini decreto & Sylvestri, aliorumque Pontificum diplomatibus erueret; pro Trevirensibus causam probabilius definire. Sed cum Sylvestri authographum (Recentiora hac in parte non recententur definitiva) Epistolographi, in re diplomatica veratissimi, ac severiores Critici non agnoscent genuinum, non est quod ectypon ex eodem authore adducatur & examinetur; præsertim, quod de sola Helenæ patria, de qua in præcedenti Corollario actum, mentio tantum fiat. Erit tamen operæ pretium proferre Constantini decretum, quod Constantini Porphyrogeniti dicitur Constitutionibus insertum, in quo patria, de qua hucusque concertatum, explicitè designatur. Sic autem habetur in libris Basilicon. *Si qua unquam natio ex infidelibus his borealibus gentibus postulaverit, ut cum Romanorum Imperatore affinitatem jungat; ac vel filiam ejus sponsam accipiat, vel propriam dedat filiam, neve* his*

his verbis, & irrationabilem illorum repelle, ac dicito. De hoc negotio atque argumento præceptum esse ac formidabilem atque indeprecabilem Constitutionem Magni & sancti Constantini in hac sacra mensa Catholica Christianorum Ecclesie descriptam, ne unquam Romanorum Imperator cum natione contrahat, diversis moribus ac peregrinis à Romanorum statuente: maximè vero, qua alterius fidei sit, nec sacro iniuncta Baptismo, præterquam cum solis Francis: hos enim solos magnus ille vir Constantinus Sanctus excipit, quod & ipse habuit ex partibus illis ortum. Hisce verbis Constantinus Porphyrogenitus filium instruit, non esse temerè cum alienis nuptias ineundum. Quia verò multum esse commercium subjungit Francis ac Romanis, eosque connubia posse contrahere, propter antiquitatem partium illarum, gentis claritudinem atque nobilitatem, attumat Masenius, quod quivis veterum non ignarus historiarum, Trevirum intelligi facile videat; cum hæc veluti altera Roma & sedes Occidentalis, per Galliam, Imperii, jam Constantii & Maximiminiani illic bellantium tempore Francos in consortium, & defensionem sedis hujus imperialis recepisset, quod ex Eumenii Orat. paneg. ad Const. videri poterit; ubi inter cætera dicit. *Quin etiam illa cuius nomine mihi peculiariter gratulandum devotissima nobis Adnorum civitas, ex hac Britanica facultate victoria, qua gentes Francorum illic penitus excisa, plurimos, quibus illa provincia redundabat, accepit artifices.* Censet proinde Malenius, quod hinc frustra Alfordus ad Francos, qui in Britannia sub Constantino agebant, hanc gentis laudatæ & orti ab illis Imperatoris gloriam transferre conetur. Alfordus autem strenuè suam spattam conatur tueri: ac imprimis concedit, Galliam posse potiori jure sibi Constantinum vindicare, quam Græciam. Hunc in Galliis natum dici putat, fortè quia ex Francorum partibus ortus est, ut diserte

affirmant Pius, Antoninus, Bartolinus, de ort. Imperat. Albertus stadenis in Chiron. in quorum scriptis cum absque fundamento, ut suæ menturæ sensus adæquet & accomodet Richardus Vitus pro Gallia mendosè, melius Walliam substitui jubeat, mentio tanquam frivolus corrector irridendus erit. Sic literati homines recentioris ævi frequenter summum sibi jus in pulsa authentica scripta vindicare solent; atque ea læpèrefingere pro capiti suo; & adulterinis emendationibus à natura sinceritate deterfos corrumpere. Quantumque Malenius pollicem premat Trevirensibus; negabunt alii ex adductis bene inserti Constitutionibus Porphyrogeniti Constantinum alibi, quam in Britannia natum. Nam Galliarum nomine etiam Britanniam, juxta usitatum antiquorum Romanorum loquendi modum, comprehendendi passim ex autoribus constat. Quod quidem inde provenire putatur, quia Constantinus Romanum Imperium quadripartim divisit, ac Prætorio præfectos in illas provincias misit. Hinc provinciæ illæ, quæ sub una erant Præfectura, communi etiam appellatione censebantur. Quare dum Britannia cum Gallia eidem præfecturæ subisset, hinc, qui Romanorum provincias numerant, plerumque Britannias Galliarum nomine complectuntur, quod factum esse à Sæto Rufo notat Cæsar Bulingerus Lib. 3. de Imperat. Rom. Cum ergo Constantinus Porphyrogenitus Francos excipi dicit à Legge Constantini Magni, quia inde ortum habuit; ut certum est, Galliam intelligi, ita quoque extra ambiguum est Britannias Galliarum nomine comprehendendi. Hoc ipsum si Malenius negaret, urgeri posset, quod Porphyrogenitus non dicat Constantinum ex Francis aut Galliis ortum: sed ex illis partibus, quæ quidem propriè Francia, seu Gallia non sunt, tamen appellatione veniunt. Quin Lex illa prohibitiva solum spectat infideles boreales & peregrinis moribus à

Roma-

Romanorum consuetudine alienos. Atqui Britannia jam dum præ cæteris Galliarum partibus fidem Christi amplexa fuerat, ut Tertullianus. *loc. cit. cap. 7.* testatur, antequam Romanis subesset, & deinde cum Romanis omni commerciorum genere in bello & pace agebat: denique eos lingua moribus, litteris, ingenio præ omni Galliarum gente referebat, quemadmodum Agricola apud Tacitum in vit: asseverat.

Ex his omnibus satis dilucidè apparet, Alfordum non conari, uti tamen Masenio visum fuit, ad Francos, qui in Britannia sub Constantino agebant, ortum hujus transferre: sed ad ipsos Gallo-Britannos. Fateatur equidem, quod ratio à Constantino Porphyrogenito adducta, aut Galliarum præse aut Britanniarum, aut Germaniarum minimè faueat: sed quod possit cuilibet earum, si alia adminicula desint, indiscriminatim accommodari. Quod si earum alicui potiora argu-

menta suppetant, illi jus potius ex dicta Constantini autoritate evincetur; & meritò poterit sibi asserere magni Constantini patriam. Verùm quia hucusque nemo produxit, qui in hac protasi produxerit testimonia evidentiora, quàm illud quod ex decreto Constantini Porphyrogeniti habetur: hoc ipsum autem varias interpretationes subeat, res in Controversia manet: eamque de Constantini Magni Patrio solo Lector opinionem concipiet, juxta quod interpretatio contentorum sibi videbitur melior: siquidem docente Salviano *Epist. 7. initio*

*Res dubia & latens melius
semper interpretationibus,
quàm defensoribus malis
conceditur.*



T e

CON-